

et in meritum virtutis sanctae obedientiae iniungimus, quatenus ad omnia se inviolabiliter teneant suprascripta. Datum Mogelin, anno domini millesimo trecentesimo vigesimo octavo in festo sancti Petri ad vincula.

Nach Grundmanns cod. dipl. episc. Misn. II. p. 387 im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden und Adelungs cod. dipl. Sax. I. fol. 243 in der dasigen K. öffentl. Bibliothek mit Verbesserung einiger offenerer Schreibfehler.

No. 397. 1328. 1. Sept.

*Decan Lutold beurkundet, dass der ewige Vicar Hartmann zu seinem Seelenheil für seine Vicarie Jahrzinsen auf einigen Häusern in der Stadt Meissen durch Kauf erworben habe.*

In nomine domini amen. Cum varia et inopinata circa miserum statum hominis multotiens soleant evenire, sapientis est consilium, ut ea, quae ad pietatis usum devotionis intuitu erogantur, benignitatis sollicitudine merito ratificentur. Hinc est, quod nos Lutoldus dei gratia Misnensis ecclesiae decanus recognoscimus tenore praesentium publice profitendo, quod discretus vir dominus Hartmannus perpetuus vicarius dictae ecclesiae pia devotione motus, suae salutis cupiens providere vicariae suae duo talenta annui census cum quatuor solidis parvorum denariorum in civitate Misnensi suis denariis in curiis infra scriptis rationabiliter comparata, videlicet in curia Eckilmanni XVIII solidos denariorum et in duabus domibus collateralibus versus Albeam VI solidos denariorum, nec non in curia Ludewici pistoris unum talentum pro remissione suorum peccaminum tradidit et donavit, hac tamen conditione adiecta, quod fratres praedicti domini Hartmanni post obitum suum dictum censum, quam diu vixerint, recipere debeant et habere, postquam vero ipsi de praesentis vitae medio domino volente fuerint evocati, tunc dicta talenta cum quatuor solidis ad praefatam vicariam transire debent libere et devolvi. Ne igitur ulla super praemissis in posterum suscitetur quaestio nocitura et piae intentionis propositum inmutetur, praesentem litteram desuper conscriptam praedictae vicariae in testimonium dedimus nostri sigilli munimine roboratam. Testes huius rei sunt honorabiles viri et discreti dominus Henricus de Gubin praepositus Haynnensis, Th. de Goltberg, Her. de Lubin, Martinus, Heynricus Cirrus, Conradus Thuringus, Her. de Cerin, Albertus Hechardi, Burchardus, Johannes de sancta Cruce, Heynricus de Crisow perpetui vicarii ecclesiae Misnensis et alii quam plures fide digni. Actum et datum Misnae anno domini M°.CCC°.XXVIII°. in die beati Egidii abbatis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Decans an einem von der Urkunde selbst zum Theil abgetrennten Pergamentstreifen.

No. 398. 1329. 25. März.

*B. Withego II. eignet mit Zustimmung des Capitels einer Vicarie und dem neu zu errichtenden Altar der h. Jungfrau, des Ap. Jacobus und des h. Georg Geld- und andere Zinsen zu Schmorren und Binnewitz, welche der ewige Vicar Heinr. von Crisow aus den von dem verstorbenen Pleban Joh. in Rudinzdorf schenkungsweise hinterlassenen Geldern vom Bischof käuflich erworben hat.*

In nomine domini amen. Expedi res pie gestas, ne a memoriis hominum excidant, scripturarum et testium recipere fulcimentum. Hinc est, quod nos Wythego